





1. Olearij s. Gottfr. / diff. de Morte et vita  
 Sidellum cum Christo, Lipsia 1710.  
 2. Olearij s. Joh. / diff. de correptione  
 Concionatoria, Lipsia 1684.  
 3. ————— diff. de Lachrimis Christi sub  
 ingressum Hierosolymorum fusis,  
 Lipsia 1683.  
 4. ————— diff. de resurrectione spiritua,  
 li Lipsia 1698.  
 5. Oporini s. Joach. / programma de Demon,  
 ratione Spiritus ac virtutis.  
 6. ————— diff. de usu docto Simplici,  
 fato contra scepticos, Goettinga 1738.  
 7. Ortlob s. Joh. Christopher / diff. de Samue,  
 le Iudice et propheta non pontifice  
 aut facerote iudicante Lipsia  
 8. ————— diff. de pacto Davidis et Abneri  
 contra Iacobum, illico, Lipsia 1709

*Q. D. B. V.*

CONTROVERSIAM  
RECENTIOREM  
<sup>D E</sup>  
**G L O R I A  
D I V I N A ,**  
ULTIMO OPERUM DIVINORUM FINE,  
*P R Æ S I D E*  
**CHRISTOPH. MATTHÆO  
PFAFFIO,**

S. Theol. Doct. & Prof. Primario,  
Cancellario Tubingensi,  
Abbate Laureacensi

*ad diem XIII. Nov. MDCCXXXIII.*

in auditorio Juridico  
publico sistet examini

**M. AUGUSTINUS Hafenreffer /**  
Thala-Arnobianus,  
S. Theol. Studiosus.

---

**T U B I N G A E**  
impressit GEORGIVS FRIDERICVS PFLICKE,





## *Historia Controversiae.*



Crispsit haud ita pridem Vir eruditus:  
*Mundum esse ob Dei gloriam conditum*  
tā verum est, quād id constanter ab  
omnibus, quibus sanum synciput, & Phi-  
losophis & Theologis assertur (a), ad-  
dito, neminem se nosse, qui hoc negārit,  
quād Poiretum (b). Vix sanè concipi  
potest, qui eandem cum Poireto tibiam hīc inflaverint  
præter veteres & Patres & Scholasticos è recentioribus  
Antonius Arnaldus (c), qui ad Augustinum, Thomam  
Aquinatem & tous les habiles Theologiens hīc provocat,  
Placaeus (d), Tronchinus (e), Guil. Kingius, Episco-  
pus Derensis, postea Dubliniensis (f), Jac. Bernhar-  
dus (g), Bælius (h), Placetta (i), denique & magnus  
ille nostræ ætatis Philosophus Leibnitius (k), queis nu-  
per accessit quoque Christianus Democritus (l). Tace-  
mus eos, qui causas finales in Deo vel negavere peni-  
tus vel faltem haud scrutandas edixerunt (m). Nec tamen  
desunt negantibus argumenta.

(a) Vide usum Philosophiae Leibnitianæ in Theologiâ T. 1. p. 211. 212.

(b) in Cogitat. ration. de Deo, animâ & malo L. 3. C. 15. p. 520. Refu-  
tavit

- tavit h̄c Poiretum, qui tamen, ut mox dicemus, mutavit sententiam, cel. Bülfingerus noster in dilucid. philos. de Deo, animâ humana & mundo p. 532. sqq. Adde cel. itidem Weismanni nostri schediasma acad. II. §. 11. p. 198. in nota.
- (c) dans les reflexions sur le système du P. Malebranche T. 2. Ch. 2. p. 12. sqq.
  - (d) de ordine decret. div. th. 6.
  - (e) in notis MSS. ad Wendelinum L. I. C. 4. th. 3.
  - (f) de origine mali Sc̄t. 3. C. I. §. 10. p. 44.
  - (g) Vide nouvelles de la République des lettres 1703. Mai p. 561.
  - (h) dans la reponse aux questions d'un Provincial T. 2. Ch. 74. p. 77. sqq. Ch. 92. p. 232. sqq. T. 3. Ch. 144. p. 817.
  - (i) dans la reponse à deux objections de Mr. Bayle P. 2. Ch. 4. p. 142. sqq. & dans la reponse à une objection P. 2. Ch. 3. p. 186. sqq. Refutavit hec Placettam Phil. Naudet dans l'examen de ce traité p. 151. sqq.
  - (k) Vide Essais de Theodicee P. 2. §. 116. p. 237.
  - (l) in démonstration Evangelica p. 75. 157. Dippelium refutavit h̄c Wagnerus in Christiano Democrito ἀναλογίᾳ p. 336. 439. 636.
  - (m) Prior mens fuit Democriti, Epicuri &c. maximè Spinozæ in Ethica P. 1. app. p. 34. sqq. causantis, Deum sic cariturum bono, quod intendat, antequam id assequatur, id quod in Deum non quadret. Sed impetus Vir finem indigentiae à fine meræ complacentiae haud distinxit. Posterior mens fuit Cartesii, & magis Poireti, qui tamen illam resorpsit. Vide postremam cogitat. ration. editionem p. 516. sqq. 640. 641. Refutárunt hos post Gassendum, Boyleum, Leibnitium Sturmius in Physicæ electivâ T. 1. sc̄t. I. C. 5. p. 206. sqq. aliisque passim.

### *Rationes, quòd Deus n̄l fecerit ex motivo gloria sūx.*

- I. Gloria h̄c extra Deum est adeoque ipsi haud essentialis, honor à creaturis rationalibus ipsi præstandus. Deus ob finem à se distinctum agere nequit.
- II. Deus pro fine suo n̄l finiti, n̄l limitati habere potest.
- III. Deus, cùm sibi sufficiat prorsus ipse, cùm in se sit beatissimus & felicissimus, laude creaturarum non eget. Beatitudo illius & felicitas interna nec magis nec minus recipit, sed benè gloria illa, quam creature rationales illi vel tribuere vel denegare possunt.
- IV. Cùm in Deum nulla possit cadere ambitio, quæ vitium est in creaturis rationalibus quām maximè vituperabile, cùm male operetur, qui bonum operatur, ut laudetur, cùm & in Deum non

- non quadret, agere quicquam ex ratione *utilis*, sed saltem *bonis* rationem habere is possit, non licet hunc rerum creatarum finem ipsi assignare.
- V. Cum Deus & ex creatione aliis mundi eandem sibi comparare gloriam potuerit, ratio hæc in creationem hujus mundi non quadrat. Requiritur enim *prævalens*.
- VI. Finis debet esse mediis excellentior. At creatio univerfi, in causa ratio Filii Dei & redemptio hominum per Christum longe excellentior est gloriâ, quæ Deo hanc ob causam tribuitur a creaturis.
- VII. Iustitia divina punitrix cognosci potuisset à creaturis rationalibus, nunquam licet exercita, notitiâ *intuitivâ*, quæ *abstraktivâ* præstantior est. Hinc Deus reprobos non punit, ut gloria iustitiae sua vindicativæ inde resulteret.
- VIII. Supralapsariis velificatur, qui hoc statuit. Hinc satius est dicere, Deum condidisse mundum, ut creaturis suis bonitatem suam communicare posset.

### *Resolutio.*

**A**ntequam argumenta hæc solvamus, præsupponimus I. per gloriam divinam nos intelligere non præcise laudes illas, quæ a creaturis rationalibus Deo dicuntur, sed repræsentationem & manifestationem attributorum & perfectionum divinarum ad extra in operibus creatis, in cuius contemplatione Deus suaviter acquiescit & lètatur, lètitia non indigentia sed meri & puri beneplaciti, non *necessariâ* sed *accessoriâ* (a). II. voluisse Deum in creatione præsentis mundi manifestare omnia sua attributa, id quod ex effectu & executione patet, quæ decreti speculum est, ita quidem, ut, quod est absolutè volitorum primum in intentione, in executione apud Deum sit ultimum. III. peccare itaque eos, qui dicunt, unicum creationis finem fuisse communicationem amoris & bonitatis divinæ erga creaturas, atque ex eodem illo amoris fonte iustitiam quoque vindicativam & punitivam derivant (b). IV. thesin nostram fundatissimam esse in sacris literis. Vide Jef. XLIII. 7. LXIII. 14. LXVI. 19. Ps. VIII. 3. XIX. 1. Prov. XVI. 4. Joh. XI. 4. Rom. I. 20. IX. 17. XI. 36. Col. I. 16. Eph. I. 6. 1. Pet. II. 9. Apoc. IV. 11. (c) Unde & glorificatio nominis divini præcipuum officium

nostrum est. Matth. V. 16. VI. 9. 1. Cor. X. 31. Id quod utique haud negant dissentientes, inficiati saltem, quod Deus ex hoc mortivo operetur.

- (a) Vide cel. Wolfii Gedancken von Gott, der Welt und der Seele §. 1026. sqq. 1045. & vernünftige Gedancken von den Absichten der natürlichen Dinge P. 1. C. 1. 2. ubi recte ait, usus rerum creatarum esse fines Dei. Hinc & argumentum à finibus his petitum egregium est pro existentiā & sapientiā Dei demonstrandā, ut bene Langius in causa Dei adv. Atheismum p. 171. sqq.
- (b) Est hæc mens quoque Christiani Democrati, uti ex novissimis illius scriptis patet, provocantis maximè ad 1. Joh. IV. 16. ubi Deus amor dicitur. Ast dicitur etiam lux 1. Joh. I. 5. quā sanctitas ipsius indigitatur, & ignis consumens Hebr. XI. 29. qui justitiam illius vindicativam denotat, & sanctitate Dei & amore, quo erga se ipsum fertur, oriundam ejusdem cum his, & bonitate atque misericordia divinā in Deo essentialitatis, etiū exercitium bonitatis & misericordiae divinae sit liberum, Deus enim creatoris lapis nō debet boni, justitiae verò vindicativae, ex amore, quem Deus sibi ipsi debet, resultantis eam ipsam ob causam necessarium. Concludunt hinc Theologi, quod Deus misereri quidem poterit creatura lapsa sed non necessario misertus sit, & quod peccata remittere sine satisfactione penalī nesciat, non saltu defectus per peccatum creaturis immisso sublaturā, qua satisfactione tantum emendatoria & medicinalis sit, misericordia simul divina opus, sed & peccati expiatoria, & reatus atque demeritoria vel compensatoria, qualis maximè in Christo & in damnatis conspiciatur. Illam ajunt simul ex amore Dei erga creaturem, indebito illo, hanc ex amore Dei erga se necessario eoque solo fluere. Atque hæc jam pro recepta dicuntur sententia de absoluta satisfactionis pro peccato penalī necessitate, qua cùm nodis urgeatur valde gravibus, alibi hypotheticam saltum defendimus, qua minoribus urgetur, & a GROTI de satisfactione Christi C. 3. §. 5. defensā fuit, cuius libellum hunc denuo nuper edidit cel. LANGIUS, ita quidem, ut hanc ipsius sententiam, à communī licet nostratrum typō abuentem hanc reprehenderet, quem tamen hic Theologus alibi sequitur. Vide diss. anti-Poiretanam II. dec. I. de justitiā Dei peccati vindice & causam Dei adversus Naturalismum p. 615. Adde beati Feerthii diss. de satisfactione Christi §. 20. sqq. p. 360. sqq. En, quid ait hic uterque TURRETTINUS & FRANCISCUS & JO. ALPHONSUS. Ille in diss. I. de satisfactionis Christi necessitate §. 13. p. 6. ita: *Non queritur, an Deus potentia absoluta peccata remittere possit absque satisfactione? Neque enim illi sumus, qui limites omnipotenti statuere velimus, neque nostrum est definire, quousque infinita illa ē & ē vnde uirū potestas Dei extendatur.* Hic in disput. apologet. de veritate religionis Christianæ adversus incredulorum difficultates P. 2. §. 31. p. 19. *Neque verò est, cur quibzam querat: annon potuisse Deus alia quādam ratione v.g. solo mutu, sola clementia hominibus peccata condonare eosque ad salutem perducere?* Respondemus: *quid possit Deus, quid non possit, quid debeat, quid non debeat, definire nostrum non esse nec sine magnâ temeritate à miséris hominibus tentari posse.*
- (c) Thesis hæc latius probatur à Gerhardo in disput. theol. de gloriā Dei sub initium.

Respon-

Respondemus itaque ad dubium I. falsum esse, quod Deus ob finem à se distinctum nō agere possit. Militat hæc ratio etiam contra eos, qui statuunt, Deum creavisse mundum ad bonitatem suam creaturis communicandam. Sufficit, finem, quem intendit, relationem ad ipsum habere.

Ad II. vi ejusdem instantiæ negando, Deum aliquid limitati & finiti pro fine suo habere posse. Repræsentatio attributorum divinorum in creaturis finita non esse nequit propter terminum.

Ad III. non sequi, si Dei gloria & maiestas interna nec dimini nec augeri possit, Deum illius manifestationem ad extra intendere haud potuisse, laudandam & deprædicandam à creaturis suis, qua si & officio suo desint, manifestatio tamen illi gloriæ que Deo debitur nec quicquam decedit, nedum gloriæ divinæ internæ.

Ad IV. post Placettam (d) jam respondimus in diff. III. anti-Bælianâ p. 23. 24. Ibi hæc invenias: *Quod dicitur, ambitionem tanquam rem vanissimam ab hominibus ipsis traduci, id, si Deo adplacetur, vanissimum est. Quod enim gloriæ cupidio in hominibus vana & mala est, id ideo ita se habet, quod nulla ipsis gloria debetur, quam tamen Deo deberi & soli deberi res est extra controversiam posita, quod porro viis malis & curvis eam querunt, quod de Deo itidem dici nequit, quod denique in gloriam tanquam in summo bono, per quod demum felices evadant, acquiescant, quod iterum de Deo nemo adfirmaverit, qui noverit, Deum tanquam ens in se ipso felicissimum sibi ipsi hec plenissime sufficeret. Nec & est, quod ajas, tantum esse Deum, ut, quid creaturae ipsius intelligentes de ipso sentiant, curare haud debeat, sed generoso potius contentu penitus negligere eumque vel hanc ipsam ob causam universum ad gloriam suam manifestandam haud credisse. Qualis enim hæc gloriæ sit manifestatio &c. Jejunum & id est, quod dicit BÆLIUS, Deum, cum mundum, in quo mala bonis mixta sunt, inò hæc superant, creavit, ubi mundum, in quo nulla mala futura erant, creare potuit, honesto utile proposuisse. Juxta communem enim rerum notionem, quam BÆLIUS urget, utilius hoc Deo suisset, mundum nullis malis pressum condere, quam mundum malis laborantem condere, quoniam id magis juxta ejus sententiam ad gloriam ejus fecisset. Itaque BÆLIUS summ hic os ipse cedit. Secundò non ea est hic Dei ac hominum ratio. Apud homines honestum & utile non saltem à se invicem distinguuntur & sibi subordinantur sed & sibi invicem opponuntur. Apud Deum vero idem est bone-*

bonestum, quod utile, idem utile, quod honestum, & propriè loquendo nūl Deo utile est, cùm sibi sit ipse sufficientissimus & in se beatissimus. Honestum verò ratione Dei dixeris id, quod Deo convenit, quod Deum decet, decorum Dei, quod sapientia, bonitati, justitia & sanctitati ejus. hoc est, voluntati ejus, qua ejusmodi attributis fulget, convenit. Et jam familiaris omnino bic solcēismus BÆLIO est, quod Dei officia ad decempedam officiorum humanorum exigit, qui tamen facile cogitare potuit, immanem heic distinctionem inter utraque intercedere. Ita Deus non potest non semet ipsum amare. At si homo se supra omnia alia amet, quin in pessimæ philavita crimen præceps cadat, nemo est, qui dubitet.

(d) In utramque enim partem Theologus hic disputat.

Ad V. regerimus, potuisse utique & Deum mundum condere ab omni malo vacuum ad eandem gloriam suam hoc manifestandam modo, quo tamen omnia ipsius attributa haud manifestata fuissent. Sed pro libertate suâ, cuius exercitium in objectis indifferentibus absolutum & ipsa sapientia haud dissuaserat, presentem mundum condidit, in quem malum introitum esse prævidit, alio sic modo, congruo tamen & hoc, gloriam suam quoad omnia attributa sua & justitiae quoque vindicativæ exercitium manifestatus.

Ad VI. dicimus, gloriam, quæ à Deo intenditur, non esse præcisè laudes hominum sed representationem & manifestationem attributorum divinorum ad extra, quæ tam excellens est quam ipsa mundi creatio & redemptio, utpote hinc excellentiam suam præstantiamque totam trahens.

Ad VII. Gloria divina non redit ad agnitionem attributorum divinorum, quæ à creaturis rationalibus fit, sed ad representationem eorundem in operibus divinis, queis manifestare singula intendebat summus Creator. Manifestat itaque & justitiam suam punitive, licet ea cognosci potuisset intuitivè sine ullâ objecti, quod puniretur, existentiâ, ex quo abstractivè innotescit.

Ad VIII. respondimus in proscutablemate I. ad vindicias sanctitatis divinæ contra prædeterminationem Dei ad peccata physicam p. 42. sqq. ubi STEPH. VITUM refutavimus. Scilicet ex omnibus mundis possibilibus illum elegit Deus, in quem prævidit malum sine omni culpa sua introitum, eo fine, ut omnia attributa sua, adeoque & misericordiam reparatricem & justitiam suam purificem (e) manifestare posset. Hæc justitia, quæ & ira divina in facris

Iacris literis nominatur , magno cum zelo majestatem divinam læsam vindicans , genuina est amoris , quo Deus se ipsum & creaturas suas amat , filia , estque vel *compensatoria* vel *emendatoria*. Illa in Christo & in reprobis damnatisque tūm Angelis tūm hominiibus maximè conspicua est , qui cūm vel defectionis suæ sine ulla tertii cuiusdam seductione ipsi causa sint originaria , vel in infinitum peccant , postquam in tempore præfixo nullam emendationem admisere , & infinitis privantur bonis , unde infinita mala poenalia sequuntur. Atque hæc ex solo Dei erga se amore manat. *Emendatoria* objectum sunt homines , qui à labe suā spirituali se poenit quoque istis *emendatoriis* & medicinalibus (f) purgari patiuntur , iisdem tamen & suo modo expiatoriis. Atque hujus *emendatoria* justitiae divinae origo est amor Dei & erga se & erga creaturas suas miserias , quæ posterior misericordia dicitur. Utriusque vero & *emendatoria* & *compensatoria* fundamentum intermedium est sanctitas divina , illa Dei perfectio , quā omnes virtutes eminenter possidet & omne bonum morale intensissimè amat , omne malum morale intensissimè , sine ullâ tamen profundissimæ felicitatis & beatitudinis suæ turbatione , quæ in affectu iræ , quæ in cupidine vindictæ in hominibus conspicua est , averatur.

- (e) Duorum horum attributorum manifestationem primitivo Dei decreto haud intentam fuisse male insciatur Jacquelotius dans l'examen de la Theologie de Mr. Bayle p. 371. Et opponi sane hic posset , Deum decreto primitivo haud potuisse intendere manifestationem justitiae quoque vindicativæ , cūm juxta voluntatem suam antecedenter velit omnes homines salvare & justitiam punitive non administrare lubenter Thren. III. 33. quæ administratio peregrinum opus Dei dicatur Jes. XXVIII. 21. cūm & sequatur hinc , Deum creasse homines ad damnationem creationemque medium damnationis executivum esse. Respondeo I. voluntatem istam antecedenter subordinatam esse decreto illi primitivo , adsc̄que , licet in velleitate non consistat , tamen non esse abſolutam , nisi quatenus Deus omnibus hominibus sufficientia , quies salvari possint , media largiri decretivit , sed ordinatam , salvandi omnes non tantum , qui pro conferenda ipsis virtute credituri essent in Christum sed & damnandi eos omnes , qui , sperat illa virtute , non essent credituri. Prius necessarium erat , ut daretur quoque justitiae punitivæ objectum habile , quod non potest esse nisi peccator culposus. II. Deum in decreto illo primitivo constituisse , justitiam suam vindicativam administrare eo , quo Ipsum decebat , modo & ordine , non , ut voluntatem quereret in creaturarum rationalium peccantium damnatione æternâ , lubenter enim sic non damnat , nec immediate , antecedenter & primariò , quod nonnisi supralapsariorum rigidissimus somniauerit , sed mediate , consequenter & eventualiter , nonnisi post thesauros honestatis communicata malignè dissipatos , ut , posito fine culpa sua peccato manifesta-

festatem suam vindicet gloriosus. Non habitasset circa hæc cl. Oederus in præstantissimâ responione cl. Vito oppositâ p. 291. 292. si legisset citatum illud nostrum *de Cœnac. & Balaam.*

(f) Nescio, cur poenas medicinales & emendatorias neget celeb. MOSHEMIUS in den Gedancken über die Lehre von dem Ende der Höllen-Straffen, P. I. p. 271. der heiligen Reden. Vide saltem beati Hochstetteri nostri tr. de jure poenarum sect. I. §. 4. p. 6.

Quod restat, I. tota fere hæc controversia in *λογογραφίᾳ* abierit, si præsupposita p. 5. 6. memorata dissentientes recte ponderaverint. II. Patet sic, cur Deus Filium suum pro redimendo genero humano incarnari (g) & mori voluerit, sive, ut amoris, misericordia & justitiae suæ *summum gradum* erga hominem lapsum, mox ut creaturam in se bonam, mox ut miseram, mox ut peccantem consideratum, liberè exerceret atque sic per mirabile attributorum istorum temperamentum summam gloriam suam manifestaret (h), sive, ut misericordiam cum effectu exercere posset, non administrabilem nisi præstata prius poenali satisfactione, quam justitia poscebat vindicatrix, quæ cum ab ipso homine peccatore præstabilis haud esset, à Sponsore habili præstanda erat, quem sapientia divina adinvenit, non per dispensationem ipsius legis de morte peccanti irrogandâ sed saltem gradus in lege rigorosioris, qui poenam poscit à personâ ipsâ peccante, non à substitutâ. Cernere hic est satisfactionis Christi & exercitii justitia vindicatrix necessitatem vel *bypotheticam*, quæ & talis est exercitii misericordia, supposito divino de omnibus attributis suis manifestandis decreto, vel & *absolutam* quoque juxta Theologos, quæ de exercitio misericordia erga homines lapsos affirmari nequit, hoc enim liberum esse ex mente illorum diximus, et si justitia & misericordia æqualiter Deo sint essentiales. Essentialitas enim necessitatem exercitii haud infert (i). Vi misericordia Deus misereri potuit hominum lapsorum, vi justitiae illos vel illorum vadem punire debuit. Causam assertionis supra posuimus. Gradus tamen sive intensio itemque tempus & modus harum poenarum à voluntate Dei libera secundum fines electos sapienter agente pendent. Unde & III. aeternitatis, ut beatitudinis, ita & damnationis rationalitas patet, oriundæ ex decreto illo Dei primitivo, quo *omnia attributa sua non saltem ad tempus* sed & *in eternum* manifestare is operibus suis & in creaturis suis secum constituit, et si eadem & aliunde innotescat,

(g)

(g) Mira heic Malebranchii sententia est in tract. de la nature & de la grace, Deum urique in creatione mundi intendisse gloriam suam, non quidem manifestatione attributorum suorum sed incarnatione Filii demum asequendam, quā sola mundus alias Deo indignus ipsius intentione dignus & re verā gloriōsus fuerit redditus.

(h) Et sic jam dici potest, decretum divinum de gloriā misericordiae & justitiae divinae per Filium Dei incarnandum manifestandā esse fundamentum decreti de actualiter miserando generis humani lapsi & mittendo deinceps illi tanto Mediatore. Illustrerint, quae ponimus, ea, quae scripsi dign. D. D. Hagnmajerus in disserit, nuperā de gratiā Dei erga homines peccatores etiam in primo suo actu in Christo Iesu radicatā p. 23. ubi cl. Kocherum, haud attendentem, cel. Fœrschium ipsum nostram in disp. de satisfactione Christi §. 24. p. 368. Dec. diss. fel. Theol. defendit sententiam, à nobis jam in disserit de remissione peccatorum p. 6. sqq. refutatum, refellit & ipse. Jam vero & universalis ~~æ~~toraxalasatorum Patronus dixerit, Deum, qui pro sapientia sua non possit non eligere, quae ad maiorem sui gloriam faciant, non posse non restituere damnatos & Angelos & homines, cum 1. misericordia ipsius impelli hūc debuerit per antecedenter intuitum medicina spiritualis etiam possibilis ad restituendos Angelos lapsos, quem ob intuitum & dicatur impulsus fuisse Deus ad misericordium generis humani lapsi, cum 2. diabolus alias gloriari posset de maiore regni sui præ regno Dei amplitudine, cum 3. nobilissimarum creaturarum maximam partem in pernicie relinquere haud sanè gloriosum sit. Heic responderim I. probè cavendum nobis esse, ne Deum ita adstringamus rationibus sapientiae vel gloria prevalentibus, quas singimus, ut vel tandem dicendum nobis sit, ipsum non potuisse non mundum hunc condere, hominum lapsorum miseri &c. cum potuerit sanè pro libertate sua & facere contrarium. II. Non esse contrarium sapientiae, operari etiam minora, sapientiae, potentiae, amoris &c. summum gradum haud arguentia. Ita Architectus contra sapientiae & artis regulas tam non peccat, cum rusticis ædificat tuguriola, quam iiii convenienter agit, ubi palatia ædificat Regibus. Ita horologiorum faber & communia sicut horologia, majora & minoria & repetitoria & majoris adhuc aris alia sine ullo vel sapientiae vel habilitatis sua detrimento. III. Diximus supra, gloriam divinam esse representationem & manifestationem attributorum divinorum. Poterat Deus unique mundum condere, in quo manifestaret saltem attributum bonitatis, non justitiae punitivæ. Noluit id ex libertimo arbitrio, cuius plenissimum exercitium Deo sibi omnissufficientissimo suaserat sapientia. Voluit itaque mundum condere, in quo omnia attributa sua manifestaret non ad tempus sed in aeternitatem omnem. Dixirisne, factum id esse ad maiorem sui gloriam, quae talis ex manifestatione omnium attributorum Dei resultare videtur. Ast major gloria existimari possit, si vel creatus fuisset mundus omnis labis expers vel talis saltem, in quo aliquando penitus defrueretur peccatum. Jam cum haud determinabile sit, ubinam heic maior gloria militet, ex una enim parte omnium attributorum manifestatio perpetua, ex altera mundus omnis labis vel semper vel aliquando saltem expers videtur gloriōsior, triumphus hic libertati Dei relinquendus venit, qui sine ullâ prævalente ratione se determinavit ad creandum restituendumque mundum, in quo uti omnia attributa sua, ita

& libertatis sue plenissimum & eminentis exercitium manifestaret. Sola quippe cogitatio exercende libertatis sine ullâ aliâ ratione sufficere ad voluntatis determinationem potest, facente Leibnitio in causa Dei assertâ per justitiam eius §. 106. p. 34. Sed ita quidem nos de rebus divinis balbutimus, qui, ubi per gloriam Dei deprædicationem attributorum divinorum, quæ à nobis fieri debet, intelligimus, facilius capimus, qui magis vel minus illa admittat. Aliud de priori, quen diximus, sensu pronunciandum. IV. Possibilitas & præficiens medicina pro lapsis refituendis parabilis, licet fundetur possibiliter, rationabilitatem & facultatem miserendi, tamen non est causa impulsiva nedum proxima, sola & meritoria ipsius miserationis actualis. A posse ad velle non valer consequentia. Ita Medicus, licet nôrit medicinam huic vel illi ægroti parabilem, ad eam tamen præscribendum non provolat solâ istâ parabilitate impulsus, sed vel ex capite misericordiae, vel officii, vel honorarii, quod expectat. Ita qui pecunia abundat, non statim ea propter liberat debitorem ob debita, quæ solvere nescit, carceri mancipatum, licet in promptu habeat, quo hominem liberet. Ita, qui lyrum dat pro captivo, illud non dat, quia dare potest, sed quia ex hoc vel illo capite alio vult. Ita Medicus, ita dives Vir, ita redemptor huic medicinam præscribit ægroti, alii non præscribit, pro uno solvit, pro altero fecus, unum liberat, alterum in captivitate relinquit, eti pro utrifice in promptu habeat medicinam, pecuniam, lyrum, perinde, uti Deus, licet pro lapsis & Angelis & hominibus vi scientia vel simplicis intelligentiae vel visionis ab æterno nôrit medicinam parabilem, solis tamen hominibus illam decrevit ex merito misericordiae sui actu, cuius nec causa impulsiva nec meritoria fuit scientia hujus parabilitatis, utrifice enim illa sic actu fuisse parata. Accedit, quod medicina vi misericordiae decreta non potest per rei naturam esse causa decreti hujus meritoria, quod nec præscita illa à Deo est, nisi quæ per misericordiam antecedenter ponibile vel potius ponendum parabilis, vel decernibilis, cuius antecedentis misericordia illa medicina parabilis causa non potest esse, nisi singatur processus in infinitum, quod & gratia, quæ Deus homines complebitur, originariè est indebita, quæ talis non effet adeoque nec gratia, si in antecedente merito (quod tamen ipsum sine gratia antecedente, quæ illud decernit, non potest concipi) effet fundata, illam necessario requirente. Scilicet medicinam, quam noverat, applicare poterat Deus generi humano lapsos, & non poterat, prout non applicavit Angelis applicabilem. Causa itaque applicationis non ipsa medicina applicabilis est sed primus iste & meritus misericordiae actus in se liberimus. V. Falso supponitur, minus gloriosem esse Deo maiorem regni Satani amplitudinem & tot nobilissimum creaturarum in pernicie sponte acceritâ derelictionem. Id quod tam non inglorium Deo est, quam non inglorium est ipsum justitiae vindicative, magisque gloriosum in suo genere omnium, quam certorum saltem attributorum exercitium, quam certum porro est, regnum Satanicum non esse amplius divino ob potentiam Satanæ dammati & ipsius, ampliore & Dei dammati minorem, quam certum denique est, Dei felicitatem perniciose creaturarum vel temporali vel æterni ne hilum quidem turbari.


(i) Ita omnipotens e. g. Deo essentialis est, licet nunquam exercita fuisset in creatione hujus universi, quæ & omitti potuisse illâ stante,

00 A 6314

56.

4

41





Q. D. B. V.  
CONTROVERSIAM  
RECENTIOREM  
DE  
G L O R I A  
D I V I N A,  
ULTIMO OPERUM DIVINORUM FINE,  
P R Ä S I D E  
CHRISTOPH. MATTHÆO  
PFAFFIO,  
S. Theol. Doct. & Prof. Primario,  
Cancellario Tubingensi,  
Abbate Laureacensi  
*ad diem XIII. Nov. MDCCXXXIII.*  
in auditorio Juridico  
publico fistet examini  
M. AUGUSTINUS Hafenreffer/  
Thala-Arnobianus,  
S. Theol. Studiosus.

T U B I N G A E  
impressit GEORGII FRIDERICI PFILICKE,

